



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Croesvs Et Codrvs. hoc est, Copiæ Et Inopiæ Damna vel  
Lvcra, à bono iustoq[ue] Mundi Governatore Deo  
Distribvta**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadij, 1648**

§. 2. Quanti diuitias fecerint Poëtæ?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52359)

§. II.

*Quanti diuitias fecerint Poëta?*

Vtrumque hoc affirmatè pronunciauit Plaut. in  
Comicus, cuius hæc est sententia: *Vt cuiq;* Sticho.  
*homini res parata est, firmi amici sunt: si res  
lassa labant, itidem amici collabascunt. Res  
amicos inuenit. Quanta igitur felicitas est in  
amicis sita; tanta miseria, amicis carere,  
qui tempore necessitatis succurrant.*

*Argentum, & anima, & sanguis est mor-  
talibus:*

*Quo qui caret, nec hoc sibi cautus parat,*

*Vinos is inter mortuus homo obambulat.*

Eandem cantilenam cantat Menander in  
his versibus.

*Ego utiles verò Deos esse arbitror*

*Nostros, & Argentum, & Aurum maxi-  
mè.*

*Istos quidem si dedices tua in domo,*

*Quidquid voles, roges, tibi omnia aderunt,*

*Ager, domus, seruiq; & argyromata,*

*Testes, amici, iudices: tantùm dato.*

Adeò potentes faciunt nummi, &, vt Ari-  
stoteles ait, *omnia vanalia nummis.* Nimi-  
rum, sicut vbique ferè *in pretio pretium est;*  
ita vicissim miserrima res est, nihil posse,  
cùm velis posse, Enimuerò quemadmodum

homines, quæ volunt splendere, inaurant, ita

Horat.  
lib. 2. ser.  
5.

*Et genus, & virtus, nisi cum re, vilior al-  
gâ est.*

Quanti sanguinis vidimus viros despectos, postquam aurum perdiderunt? Cræsos, non Codros populus adorat. Quàm præclaras experimur virtutes, sub scissili palliastro, delituisse? Quot viuacissima ingenia neglecta sepeliuntur, quæ excitata fuissent, splendissentque, si habuissent Mecœnates? Quâ irroborata est opinio, vt ferè vnusquisque tanti fiat, quantum habet. Clare illud expressit Iuuenalis, cùm diceret:

*Quantum quisque sua nummorum seruat  
in arca.*

*Tantum habet, & fidei.*

Vsque adeò calamitosus est inops, vt, cùm careat, vnde se alat, ne fidem quoque habeat, vnde acquirat.

§. III.

*Quanti fecerint diuitias Propheta, & Philo-  
sophi?*

Sed relinquamus Poëtas, consulamus  
**Psa. 30. 11.** Prophetas, quorum vnus ait: *Infirmata est  
in paupertate virtus mea.* Nam super alias  
afflictiones accessit, vt propter inopiam vi-  
res